

*legimus in regnorum libris, quomodo sanctus Iosias regnum sibi a Deo datum circumueundo, corrigendo, ammonendo ad cultum veri Dei studuit revocare<sup>i)</sup>: non ut me eius sanctitate aequiparabilem faciam, sed quod nobis sunt ubique sanctorum semper exempla sequenda<sup>k)</sup>, et, quoscumque poterimus, ad studium bonae vitae in laudem et in gloriam domini nostri Iesu Christi congregare necesse est.*

---

57/34 ff.: *Episcopis. Haec enim, dilectissimi, pio studio et magna dilectionis intentione vestram unanimitatem<sup>l)</sup> ammonere studuimus, quae magis necessaria videbantur, ut sanctorum patrum canonicis institutis inhaerentes praemia cum illis aeternae felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriuntur<sup>m)</sup> qui praesumptiose contra statuta universalium conciliorum venire audeant.*

---

58/6 ff.: *Omnibus. Ut pax sit et concordia et unanimitas<sup>n)</sup> cum omni populo christiano inter episcopos, abbates, comites, iudices et omnes ubique seu maiores seu minores personas, quia nihil Deo sine pace placet nec munus sanctae oblationis ad altare, sicut in evangelio ipso Domino praecipiente legimus. (Matth. 5, 23, 24).*

---

58/15 ff.: *Omnibus. Ut quibus data est potestas iudicandi iuste iudicent, sicut scriptum est: 'iuste iudicate, fili hominum', (Zach. 8, 16) non in muneribus, 'quia munera excecant corda prudentium et subvertunt verba iustorum' (Deut. 16, 19) o) non in adolatione p), nec in consideratione personae, sicut in deuteronomio dictum est. (Deut. 1; 16, 7) q).*

---

i) a. a. O. S. 181/Z. 5 f.: ... et studium corrigendo vitam populi christiani. Quidquid vero ille in regno tibi a Deo dato bene disposuit .....

k) a. a. O. S. 30/Z. 1: *Sint prae oculis exempla sanctorum ...*

l) a. a. O. S. 53/Z. 9 f.: ... magnamque in vestrae unanimитatis orationibus habens fiduciam ...

m) a. a. O. S. 90/Z. 13 f.: *Quia in sanctis canonibus terribile anathema legitur ...*

n) a. a. O. S. 54/Z. 1 f.: ... pacis et concordiae unanimitatem diligentissime observate ...; a. a. O. S. 145/Z. 4 f.: ... in unanimitate pacis amicitiae ...

o) a. a. O. S. 315/Z. 27 ff.: *Neque subiectos tuae potestati iudices permittas per sportulas vel praemia iudicare, quia: 'Munera', ut in scriptura legitur sancta, 'excecant corda sapientum et subvertunt verba iustorum'. (Exod. 23, 8; Eccl. 20, 31). Vgl. auch MG. Poet. lat. 1, 258: Stat quoque iudicium causae sub munere dantis/Sportula iustitiam vertit in ore senis.*

p) a. a. O. S. 47/Z. 2 f.: ... nulla adolationis blandimenta ... a. a. O. S. 410/Z. 37: ... non verae divitiae, sed falsae adolationes.

q) Liber de virtutibus et vitiis, Migne PL. 101, col. 628 C: *Sine personarum acceptione debent esse iudicia. Ebd. col. 629 B: Non est persona in iudicio consideranda, sed causa. Scriptum est enim: Non accipies personam in iudicio. (Deut. 1, 17). Alcuin hat in zahlreichen Briefen über die Rechtssprechung geschrieben: vgl. MG. Epp. 4, Nr. 254, 129, 186.*